UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus, privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius

**Ziegler, Kaspar**

**Norimbergæ, 1686**

Laudatissimæ Reipublicæ Gedanensis Senatui Amplissimo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61543

Visual Library

# LAUDATISSIMÆ REIPUBLICÆ GEDANENSIS SENATUI AMPLISSIMO,

*VIRI nobilitate, prudentiâ, eruditione & rerum geſtarum gloriâ celeberrimi. Ab illis, qui autoritate veſtrâ literarum ſtudia vel promovent, vel diſcentibus ordinant, & cum Academiis ſua commercia jungunt, non unis vicibus accepi, in Ordine veſtro honorificam mei factam ſubinde fuiſſe mentionem. Ea res excitavit me, ut propiùs me vobis ſiſtere, & quod præ cæteris colui hactenus ſtudium ſcripto aliquo, eoq; non vulgari, commendare animum induxerim.*

Currenti calcar addidit argumentum ipſum, cui elaborando operam dare conſtitueram, quippe quod nec ingratum vobis, neque propter eos, qui Eccleſiis orthodoxis inſidiantur, apud Vos peregrinum putavi. Deſcripſi in hoc opuſculo veterum Epiſcoporum mores, quales ab initio fuérunt, & ex præſcripto Magiſtri eſſe debuérunt, ſenſim autem à priſtinâ integritate, & noſtrâ quidem ætate nimium quantum deflexérunt. Id opuſculum ſi VOBIS placuerit, tantæ mihi jucunditati erit, ut unicum ob illud ſtudio iſti incubuiſſe nunquam pœnitere queat. DEUS veſtram & Eccleſiam & Rempublicam ab omni hoſtium inſultu clementiſſimè ſemper tueatur, & incolumem in omnem ſervet æternitatem. Dab. inclinante anno cIↃ IↃ c XXCV.

VESTRI ORDINIS
&
VIRTUTUM

*Cultor ſingularis*

CASPAR ZIEGLERUS.

PRÆ-